

c. 14.

Laici¹⁾ vel clerici et persone utriusque sexus, si proprietatis sue [loca vel r]es alicubi delegaverint, decimationis proventum priori ecclesie^{a)} legitime assignatum inde abstrahere nullam habent penitus potestatem.¹⁾ Monachi²⁾ autem vel clerici communem vitam professi de laboribus^{b)} et propriis nutrimentis suis episcopis vel quibuslibet personis decimas reddere minime compellantur.²⁾

c. 15.

Grave nimis est et divini iudicii animadversione dignum, si sacerdotes, qui laicorum patres et pastores esse noscuntur, ab eisdem laicis debeant ad aliqua inhonesta compelli et contra censuram sanctorum canonum sub obtentu prave consuetudinis subire indebita iudicia compellantur. Precipimus itaque, ut ignitum ferrum pro nulla emergente causa portare presumant. Indecens enim est et plurimum indecorum, ut manus domino consecrata candentis ferri vel aliud huiusmodi debeat subire iudicium. Set si³⁾ a populo mala opinione fuerit infamatus et legitimi testes vel accusatores defecerint, secundum decreta sanctorum patrum cum VII³⁾ honestis sacerdotibus vel paucioribus, si episcopo visum fuerit, in⁴⁾ sancto evangelio coram posito iuret, quod crimen sibi illatum non perpetravit, et hac satisfactione purgatus secure deinceps suum exequatur officium.⁴⁾

c. 16.

Sacerdotes, qui vestimenta, que in lingua Norwaica dicuntur schut id est in circuitu rugata vel etiam laqueata^{c)}, si post annum ea penitus non abiecerint, per annum integrum ecclesiasticis careant beneficiis.

^{a)} fol. 2^r. ^{b)} darüber: id est novalibus. ^{c)} portant o. ä. fehlt.

¹⁾—¹⁾ Dgl. c. 42 C. XVI q. 1 (= conc. ap. Confluent. a. 922 c. 8, Const. 1, 630).

²⁾—²⁾ Dgl. c. 47 C. XVI q. 1 (= Paschalis II. Jc. 6443).

³⁾—³⁾ Dgl. c. 12 C. II q. 5 (= capit. Mogunt. a. 851 c. 8, MG. Capit. 2, 188).

⁴⁾—⁴⁾ Dgl. c. 13 C. II q. 5 (= c. inc., Bened. lev. I 36).